

Dissertatio inauguralis medica de caussis melancholiae et maniae dubiis in medicina forensi caute admittendis ... / publice defendet auctor Martinus Ludovicus Wittwerk.

Contributors

Wittwerk, Martin Ludwig, 1759-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Ilenae : Litteris Maukianis, [1783]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u79g5wze>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE

CAVSSIS MELANCHOLIAE
ET MANIAE DVBIIS IN MEDICINA
FORENSI CAVTE ADMITTENDIS

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
^{QVAM}
SERENISSIMO DVCE AC DOMINO
DOMINO

CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE CET.

CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

PRAESEIDE

D. CHRISTIANO GOTHFRIDO GRVNERO

SERENISS. DVC. SAXO. VINARIENS. ET ISENACENS. A CONSIL. AVL. BOT.
ET THEORET. PROF. PVBL. ORD. ET FACULT. MED. ASSESS. ACAD. CAES.
NAT. CVRIOS. ET MOGVNT. SCIENT. VTL. SOCIE T. PRINCIP. HASS. BAVAR.
BYRGHVSAN. MORAL. ET OECONOM. LIBERAE MOSQVENS. EXCOLENDIS
LITTERIS ROSSICIS ET LAT. IENENS. SODALI SOCIE T. REG. PARIS.
MED. CORRESPONDENTE

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE CAPESENDIS

A. D. IV. OCTOBRIS CCCCCLXXXIII.

PUBLICE DEFENDET

AVCTOR

MARTINVS LVDOVICVS WITTWERK
GEDANENSIS

IENAE
LITTERIS MAVKIANIS

DISSESTITIO IN VENAEARVITIS MELIORA

CASSIS MELANCHOLIA
ET MINAE DULSIS IMMORTALIA
TOLTA CAVATE ALTISSIMAS

RECTORIE ACADEMIAE MAGNIS CULTISSIMO
SERENISSIMO DUCI AC DOMINA

DOMINO

CAROLO AEGAS

DUCE SAVONAE TURICAE MANTUA ANCONAE
ET AVESPINAE CELI

CONADA

CARTOVA MEDICOMIA ORDINIS

PIRELLA

CHRISTIANO GOTTSCHO GRIFFO

LEONARDUS DUARUM MUNERUM AEGAS
TIBERIUS PIRUS CEDRUS ET CEDRUS
ET EMINENS ET MORTUUS SCIENTIA
TIBERIUS MORTUUS ET EMINENS HABET
TIBERIUS MORTUUS ET EMINENS HABET
MEDICOGRAPHIA ET LITERATURA

PYO GAKU DOCTOРИ

SUMMO ET IN MEDICINA HONORIS ET TRAJECTUS

TIBERIUS ET CEDRUS

TIBERIUS ET CEDRUS

TIBERIUS ET CEDRUS

MANTUA MEDICAE MITTWERK

CONADA

LITTERA MARINIS

V I R O

EXPERIENTISSIMO ET ARTIS DEXTERI-
TATE CLARISSIMO

D. MICHAELI WITWERK

MEDICO APVD GEDANENSES MERITIS ET GLORIA INSIGNI

PATRI CARISSIMO ET OMNI QVO PAR EST PIETATIS

CVLTV PROSEQVENDO

IVVENTVTIS SVAE DVCI ET MODERATORI PER-
QVAM STVDIOSO

FORTVNAE STATORI FELICISSIMO

H A S C E

P R I M I T I A S A C A D E M I C A S

I N T E S S E R A M G R A T I A N I M I P I E T A T I S E T B E N E
C O L L O C A T I T E M P O R I S

D. D. D.

S E R E S Q V E S V A S I N P O S T E R V M D E M E L I O R I
N O T A C O M M E N D A T

F I L I V S O B S E Q V E N T I S S I M V S



PROOEMIVM

Misera profe^cto hominum sors est. Vivi^mus inter gau-
dia peritura, veluti semper duratura. Recusamus
molestias, sine quibus nunquam suauiter degitur, et videmur
spes inchoare longas, cum minimum sit spatium, quo a mor-
te vita diducitur. Vir, in excelsiori loco positus, spernit ac
despicit minorem, sapiens indoctum, stultus prudentem ridet.
Sibi quisque viuit, genioque indulget, futurorum negligens,
praesentis voluptatis appetens, totus inter amores, vina et lu-
dicra.


PROOEMIVM

dicra. Stultitia est, aiunt, extrema timere, vel mortem; cum prope accesserit, tergiuersari, tremere, plorare. Fruamur vita, donec licet, et si fata vrgent, multiplex vitae exitus patet. Subsilire in caelum ex quo quis angulo licet. Suppetunt laqueus, vnda, pugio innumeraque vitae finiendae instrumenta. Non deerit, qui laudet impensis praecclare factum scilicet, et ad imitandum ciuibus et nepotibus proponat, teque diuorum numero interesse iubeat. Non ergo amplius repetendum illud SENECAE^{*)} est: *Quomodo fabula, sic vita. Non quam diu, sed quam bene, refert. Nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. Quocunque voles, desine. Tantum bonam clausulam impone.* Age ergo, huc adsis, qui vitae pertaefus es, sine timore. Parui est animi, haerere atque in ancipiti versari. Mors enim talis amplius putanda non est, sed sapientia requies ab miseriis, et certa via ad gloriam, famam, lacrumas puellarum, ferta semper viridia amicorumque laudationes funebres. Aliter enim iam agitur, ac olim. *Quisque αὐτόχειρ bonus vir est, melancholicus, nec mentis suae compos, et hodie laudabilis morbus est, per sapientiam mori.* Nolo equidem reprobare talem hominum benevolentiam et bene merendi de mortuis

^{*)} Epist. 77.

PROOEMIVM

tuis studium. Laudo amicos lugentes, qui probabili nomine
crimen, quod infectum fieri nequit, minuunt, sed subrideo
temeraria ausa, si artis imperitis fucum et verba dant, et in-
dignor, si medicos vel inuitos docere volunt, qui demum
melancholicus vel maniacus dici haberique in posterum debeat.
Nemo enim talis per saltum est, et in anteacta vita, tanquam in
speculo, videndum, numquis hac in familia reponendus sit.
Cum ergo iudici sacro saepe multum intersit scire, quae vera
sit melancholia vel opinabilis, neque ipsi medici inter se con-
ueniant de notione ac ortu tanti tamque horrendi mali, non
incongruens mihi visum est argumentum, quo *causae melan-*
choliae dubiae quam diligentissime inuestigentur, et certior inde
veritas medicinae forensi reddatur. Quod quam bene ac
apte pertractarim, viderint iusti et periti rerum arbitri, non
iudices e triuio vel academia progressi.



DISSER-

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE CAVSSIS MELANCHOLIAE ET MANIAE DVBIIS
IN MEDICINA FORENSI CAVTE
ADMITTENDIS,

§. I.

Melancholia pessima hominis conditio est, qua quis intra se dis-
et semper, et sine febre delirat, vigilia et tristitia longa perculsus
et sibi, et aliis metuit, solitudinem quaerit, anxie circumquaque circum-
spicit, num quis audiat, vel facta dijudicet, impetus hostiles, mala gra-
uia et imminentia, interdum ridicula, veretur, loco, lectulo vel sellae
affixus vni rei studiosius et pertinacius iuhaeret, in ceteris fere prudens,
tandemque vitae pertaesus, mortem violenta manu accersit, aut inter-
summos intolerandosque animi angores vel *απαθειαν* exspectat. Mania vero
non, nisi gradu maior et vehementior est, i. e. melancholia furiosa, qua
in horrendam aspectu rabiem effusus aeger et sibi, et aliis vim inferre
audet, et more immanis belluae spuma, dentibus atque pugnis nocet, nisi
vinculis coerceatur. Vnum ergo natura sua utrumque malum est, iis-
dem remediis persanatur, et si melancholia, quia leuius vitium est, felicius
fugari vel adhortando, vel faciendo potest.

§. II.

Alia ergo est temperies melancholica, alia ipsa melancholia. Illa
in sexcentis hominibus adest, et diu adesse potest sineulla mentis tur-
batae

batae et dubiae sanitatis signo, haec vero cum delirio longo incidit, quod hominem nunquam deserit, rarius lucida interualla concedit. Non ergo illico melancholicus ex medicorum decretis putandus est, cui, nubilo et graui vel aestuante caelo, praecordia tument, vel spiratio molesta est, animus interdum torpet, interdum vacillat, post perturbationem vel indignationem ac iram cogitatio quaedam fixa et immutabilis inhaeret; vel post litterarum disciplinam, maiori studio agitatam, sensuum internorum veluti quaedam quies inimica corpori est, quia haec et facile transeunt, et cholericum hominem magis indicant. Talia enim cuique alii similiter accidunt. Nemo prudens et sapiens ab hisce insidiis satis tutus est. Impetum animi vel morbi cerebro imminentis video, melancholiā non video. Hanc demum infensam homini existimes, cum sua deliria et falsa phasmata continuat, et, ut pauper quondam ille somnia, fideliter narrat, os melancholici refert, oculos concauos, tristes, meditabundos vel ardentes ostendit, corpus exsuccum et luridis maculis maculatum trahit. Talis enim aut elleboro opus habet, ut ille apud **H O R A T I V M a)**, aut fune, ut ille apud **P L A V T V M b)**, aut pugione ac scelopo, ut amatorum et ingeniosorum genus nuper clarissimum, aut aquis vel quoquis alio vitae adimendae instrumento, quippe cum atra bilis agitat. In ceteris vero, quibus natura nitidum oris colorem, corpus robustum et firma latera, appetitum et ventriculum bonum, itemque **animum feruentiore** dedit, apoplexiā et **febres biliosas** metuere licet, melancholiā minime.

§. III.

a) Lib. II, Epist. 2, v. 137. b) Captiv. Act. 3, Sc. 4, v. 62.

§. III.

Hinc sequitur, vt alia sit melancholia ^{c)}, quae ab humoribus dimanat i. e. spisso sanguine et atra bile, alia, quae solum caput offendit vitio quodam spongioso. Illa enim vt breui in sensus incurrit, et artis medicinalis praefidiis tolli abigique potest, ita haec non, nisi conjecturalis est, et fere post fata deum detegitur; Multus caussarum numerus apud auctores memoratur, vnde iste lymphaticus mentis error profectus esse dicitur, sunt vero, nisi omnes omnino, certe plurimae ita comparatae, vt, iis melancholia vere attribuenda sit, nec ne, dubius haereas. Debet enim caussa proxima, iubentibus pathologiae magistris, ita affinis assimilisque morbo esse, vt, audita vel inuenta ea, illico malum ipsum intelligas; Debent ad eam certiore reddendam eae in promptu esse caussae occasioales et praedisponentes, quae tantum non semper, vt umbra corpus, ita pedissequae morbum comitantur. Iam vero istae quidem saepe adsunt iterumquae defunt, vel in quois aegro post fata medico exploranti se se offerunt cum mentis constantia et integritate, ideoque non omni exceptione maiores in assumenda melancholia sunt, nec vitia caluariae tam certa putas, nihil vt supra. Reperiuntur quaedam crebrius, alia rarius, in melancholicorum cadaueribus, at vero nec defunt apoplecticis, epilepticis et id genus hominibus, in quibus longum delirium desideres, ideoque id unum docent, potuisse aliquid conferre ad inducendam hanc grauissimam mentis aegritudinem, qua nulla capitalior, nulla flebilior est, sed vere efficiere, incertos nos dimittunt. Falsa enim est ratiuncula, qua quicquid post mortem absolum a statu naturali obseruatur, id mortis antegressae caussa vnica reputatur. Diu haud raro et per annos latuit in corpore sine noxa, et multi, quos similis labes viscerum tenuit, tandem

^{c)} Cf. Lorry De melancholia et morb. melancholicis, Lutet. Paris. 1765. et Observations on the Nature, Kinds, Causes and Preventions of Insanity, Lunacy and Madness by Th. Arnold, Vol. I. Lond. 1782, 8,

tandem propitio fato succubuerunt, integris sensibus integraque mente, neque satis liquet, utrum sequela diri et tortoris instar angentis morbi nominanda sit, an caussa. Equis ergo in tanta rerum obscuritate ac ambiguitate talia praecipitanter affirmare et pro certis iactare audeat, quae certa et indubitata non sunt? Boni et periti medici non est, sic decernere, cum in nulla arte magis noxium et turpe habeatur mendacium, quam in medicina. Sed videamus de potioribus et vulgo memoratis melancholiae et maniae caussis, incipiendo ab praecordiis, et ad caput tandem progrediendo.

§. IV.

In caussis melancholiae plures referuntur, quas equidem aut nullas esse puto, aut facile perituras. Quo pertinent.

I. Intestinorum angustationes vel fugillationes. Nolle me haec vitia memorassent medici, quippe multis demortuorum cadaueribus communia et mortis effecta. Reperias prius, in quibus ne spes quidem, quia nunquam inde molestiis affecti videbantur, in melancholicis vero ideo, quia et sine ordine cibos sumunt, et sub finem vitae nihil omnino, teste idoneo et locuplete GREDINGIO d), posterius vero incidit tantum non semper sub vitae finem, restagnantibus humoribus.

2. Vermes. Continebantur in cadauere mulieris maniacae e) ingens copia taeniae et pauci lumbrici, sed eas insaniam et hic, et alibi effecisse, vehementer dubito. Suntemus, si quid video, vermes huius mali rei non putandi f), praesertim cum hoc in casu cerebrum aliud vitium contraxisse videretur.

B 2

§. V.

d) Vid. Ludwig. Aduers. Med. Pract. Vol. I. P. 2. n. 4. p. 260. 270. seq.

e) Harmes Diss. De caus. morb. et mort. subiecti cuiusd. maniaci, Regiom. 1744. rec. Hall. Disp. ad morb. Hist. Vol. I. n. 9. pag. 123. seq. et vers. germ. p. 140. Vol. I.

f) Nobiscum stat. III, Metzger Verm. med. Schrift, B. I. n. 3. p. 58. seq.

§. V.

3. *Sanguis spissior*. Saepe molestus est melancholicis, et recte accusatur, si sueta symptomata sequuntur, *color d)* *externus internusque primo pallidior, flauior, magis fuscus, livescens, niger, cum maculis similibus, pulsus lentior, frigus maius, respiratio lenta, circulatio per sanguinea vasa bona, per lateralia parcior, minus bona, hinc humorum secretorum et excretorum omnium minor, tardior, crassior, exitus, minor consumtio, parcior appetitus, macies, moestitia, solitudinis amor, affectus animi quicunque pertinaces, magni, in reliquis ἀδιαφορίαι, torpor ad motus, summa tamen simul studii cuiusque et laborum constantia*. Sed haec fere singulatim homini incommodant, saepius vero nullo modo, quia impune fert istam sanguinis picei tenacitatem ac lentorem, neque *torporem* tanti habendum censeo, quanti alii credunt. In ea *inertia*, inquit cl. LORRY e), aliquem rimari melancholiae fontem, inutile est. Quam enim spasmo excitando symbolam contulisse videtur vita otiosa, non inducto torpore id efficit. Quin nec illico melancholia hypochondriaca subest, si quis praecordiis aeger est aut se esse credit, aut venae haemorrhoidales tument. Debet enim densior sanguis hic haerere, accumulari, stagnare, lienem, ventriculum, pancreas, omentum, mesenterium obsidere, sub auctore magno BOERHAAVIO f), et vel mentem ipsam infestare, eamque ob rei, si viscera haec integra apparent, secante medico, quo iure adfuisse hocce malum dicas, nescio. In his enim nisi certiora habeas documenta, quibus natura eius constat et proditur, praestat aliunde nomen morbi et causam mortis arcessere, quam verborum lenociniis lectores incautos vel imperitos fallere.

4. *Bilis*

d) Sic BOERH. Aph. 1094.

e) L. cit. T. I, p. 44.

f) Ib. Aph. 1098.


4. Bilis atra. Quae eius vera natura et indoles secundum veterum placita sit, nondum satis liquet, quia nostrates magis riui-los, quam fontes sectantur. Bilem atram, quam quadruplicem dixerat **GALENVS**, quamque tenacem, fuscam vel nigram hodie appellant, eamque certam melancholiae testem censem. Sed eadem illa fere propria senibus et umbraticam vitam degentibus est, atque per omnem vitam toleratur. Assuescit difficulti humorum motui corpus, neque praeter quasdam molestias praecordiorum et neruorum aeger aliquid persentisicit. Longa ergo via ad melancholiā est, neque sine ambagi-bus eo deuenitur. Praecurrant eius signa necesse est, sine quibus nefas duco talem animi morbum inde repetere. Praecepit et fallax est iudicium, quod a sola bilis forma sumitur, neglecta causa morali.

§. VI.

Cum ergo dubia et anceps sit melancholia ex praecordiorum labore, tum multo magis ea talis putanda est, quae in cerebro latuit. Siqua enim vitia intus veluti recondita sunt, minus tamen sensus feriunt, et opinione magis, quam veritate constant. Certum hoc vnuin est, reperta ea saepius fuisse in multis hominibus mente captis vel aegris; incertum vero, num quid ad morbum contulerint, et quantum, quia non defuerunt, quorum animus cum his turbis optime habitaret. Probabiliter ergo haec dicuntur et scribuntur, sed certo nequaquam, dubia ergo res melancholia, hoc ex fonte deducta, est. Sunt tamen in his alia mala frequentiora, alia rariora, et plus minus menti aduersa fuisse videntur.

§. VII.

Exorsi iterum a caluaria progrediamur ad interiora capitū. Hic se se fislunt



1. Sulci caluariae profundi. Crebri sunt in hominibus ceteroquin sanis vel aegris *k*), et cum ipsa membrana cerebri dura arête concréti, sed debentur, si quid video, fortiori arteriarum meningeorum istui, et impressionem primam per omnem vitam retinent, eamque ob rem non possum non in partes ire *Ill. METZGERI l*) ac quaerente, num intelligendi vis et sensuum integritas a tali tamque exiguo errore pendeant? Non putarim.

2. Exostoses spinaeque variae. Deprehensae sunt variae figuræ et magnitudinis in processu falciformi et ad processus clinoideos posteriores *m*), in media dextraque frontis parte *n*) fatui, in coniunctione ossis parietalis cum frontali *o*) in epileptico et maniaco, in osse occipitis *p*) maniaci cet. Sed vereor, ne plus huic vitio veluti naturali adscribas, quam licet. Centies enim in cadaueribus deteguntur spinae glabrae, acuminatae, rotundatae, praetenues, membranis accretæ, friabiles, sed sine noxa toleratae, dum homo viveret, interdum iterum defunt, ubi eas quaereres. Internae cranii exostoses *q*) ne epilepsiam quidem necessario inferunt, multo minus parua spicula omnem mentis aciem hebetare ac tollere possunt. Fuere, qui huic vitio obnoxii octuaginta annos, utcunque valentes, viuerent *r*), ergo inde melancholiā deducere non licet. Etenim et pauci

k) GREDING I. c. Vol. II, P. III. n. 3. p. 457. vidit in epilepticis, fatuis et maniacis.

l) L. cit. Vol. I. no. 3. p. 54.

m) Greding I. c. p. 465. et Verm. Schrift. p. 192.

n) Greding I. c. p. 458. *o*) Ib. p. 459. *p*) Ib. p. 460.

q) Sic Greding I. c. p. 460. et Verm. Schrift. p. 151. et p. 159, seq.

r) Ib. p. 461.

pauci maniaci offerunt processus clinoideos posticos acutos atque eminentes^{s)}, a quibus videtur quidem irritari potuisse cerebrum superpositum, sed ne minimum quidem laesione vestigium spectandum praebent.

3. *Asperitates scrupae.* Memorat GREDINGIVS t) in maniaco binas longas acutasque eminentias osseas prope coalitum ossis occipitis cum osse sphenoide post sellam turcicam, in femina epileptico-maniaca ad fossam temporalem dextram sub medio cerebri lobo, in epileptico supra orbitam oculi dextri, in fatuo acutam cuspidem ad fossas temporales, aliique forsan alia exempla adferunt, quae negare equidem non ausim, id vero nego et pernego, inde nata esse ista mala, quae memorant. Inquisiuimus enim multos, qui integramente diem suum obierant, et tamen talia ossium cacumina et inaequalitates sine damno pertulerant. Ipse GREDIVGIVS u) tale exemplum consignatum reliquit.)

§. VIII.

Neque immunes manserunt *cerebri tunicae.* Erunt enim, quorum

1. *Dura* mater arte coalita vel osseam indolem induta x), crassior y) solito, purulenta z), durior a) et sphacelo tacta reperta est, vnaque

2. *Pia*

s) Ita Greding Verm. Schrift p. 194. et 195.

t) Ib. p. 462. seq.


u) Vermisch. Schrift, p. II.

x) Greding l. c. p. 469.

y) Morgagni De Sedib. et Caus. Morb. L. I. 8. n. 15. 16. p. 59, ed. Venet. quocum consentit ill. Metzger l. c. Vol. II. p. 198.

z) Metzger l. c. et Plater. ap. Bonet. Sepulchret. p. 179.

a) Greding ib. p. 470, et 476. et Verm. Schrift. p. 152,



2. *Pia mater concretionibus lenticularibus et ossis b) plena, sanguine distenta c) et mucosa, bullis aereis referta d), crassa e) et dura, et ab aqua veluti ampullacea f) visa.*

3) *Vasa piae matris turgida.* Haec in maniacis obseruauit CALDANI g), vnde impetum sanguinis ad cerebrum et stagnationem conjectare licet, ipsam insaniam longam minime. Ecquis enim est, qui nesciat, talia reperiri et in ceteris cadaveribus? et oriri saepe numero a mortis genere antegresso? Idem de *vasis cerebri sanguine distentis h)* sentio. Rarius enim, ac creditur, in melancholicis et furiosis deprehenditur.

Praeter haec

4. *Sinus longitudinalis superior interdum paruam hydatidem retinet, interdum polypum i)* continuit, vel *aquam et saniem ii)* ostendit, *processus vero falciformis k)* quaedam ossium initia. Sed iterum eredit nostra oratio, vnde deflexerat, quippe haec tam communia et obvia sunt, nihil ut magis, neque tamen de molestiis inde oriundis

con-

b) Greding ib. p. 477. seq.

c) Morgagnus l. c. Ep. 9. Art. 12 et 13. p. 72. seq.

d) Ib. Ep. 8. Art. 14. p. 58.

e) Meckel in Mem. de Berlin T. XX. p. 77.

f) Greding l. c. p. 485. Metzger l. c. Vol. II. p. 198.

g) Ap. Haller. Part. Corp. Hum. Fabric. T. VIII. p. 31.

h) Ballon. ap. Bonet. Sepulchret. T. I, L. I. Sect. 8. Obs. 6. p. 180, et Greding Verm. Schrift. p. 100.

i) Greding p. 471. et Verm. Schrift. p. 150. et 284.

ii) Ib. p. 472. et Verm. Schrift. p. 149.

k) Ib. p. 473. cf. Morgagni. l. c. p. 58.

conquerebantur aegri, ne de dolore quidem capitis aut certe perexiguo, in maniacis vero perrara, aliqua vero mala ita comparata, ut, utrum ante mortem iam infestarint, an post eam enata sint, dubius haereas, v. c. aqua et polypus *kk*), quae sub ultimo demum halitus morientium nasci solent.


Hic iterum recte, ut solet, summus MORGAGNIUS: *l) Quod ad polypos attinet, non tam quacras, an mihi unquam in stultorum sinus occurserint, quam eorum memineris, quae alias a me accepisti de polypis, non, nisi in moribundo aut mortuo homine agnoscendis.*

§. IX.

Plures caussae melancholiae et maniae *cerebro* inesse putantur. Quas si sine praeiudicata opinione ac partium studio aestimo, non possum eo induci, ut credam, eas tantam malorum molem, sensuum internorum laesionem et amentiam, gignere atque efficere potuisse. Si enim verum philosophorum decretum est, causam et effectum sibi respondere oportere, mirari profecto subit, quid sit, quod tam minuta vitia et possint, et debeant mentis viam omnem tollere, sapientem stultum reddere. Neque negarem, id fieri potuisse, si quando aeger dudum ante deliraret, et post mortem vel subitam, vel lentam plures cerebri nobilissimi partes vel affectae, vel destructae reperirentur, in quibus sensuum integritas et animi vis, ut ignis in lapide, delitescit. Sin vero ignobilii cuidam particulae, cuius utilitas aut perigua est, aut nulla, aut prorsum ignota, qualis est glandula, aut tenui vesiculae, qualis hydatis est, potestas aliqua nocendi, pressura et irritatio assignatur, unde cerebri actio vel impediatur, vel auferatur, habeo, quod respondeam. Ostendant praeclari isti viri, primum, fieri id ex

kk) Idem putat. III. *Crell ad Harmes diss.* p. 153. legi-

l) L. c. Lib. V. Ep. 61. Art. 8. p. 407 et *Greding Verm. Schrift*, p. 315. - talem, in furiosa non vidit, et si in aliis pluric.



legibus physicis potuisse, deinde modum doceant, quo in quouis melancholico et maniaco facta sint. Quod quia (spero) nunquam efficient, caueant sibi in posterum a temeraria affirmatione, qua imm. prudentes fallunt, et in errorem coniiciunt.

§. X.

Iam ergo singulas caussas, cerebro infensas, aequa lance ponderemus.

1. *Cerebri macula nigra.* Hanc in cerebro vel membranis sectione deprehensam et insaniae caussam fuisse PLATERVS ^{m)} auctor est, sed sine specie veri. Nam refert, quae ab aliis audierat, et labes ista communis iis est, quos gangraena et sphacelus abstulit.

2. *Cerebrum leue.* Tale reperisse se testantur MECKELIVS ⁿ⁾ et PRINGLIVS ^{o)}, sed vellem rei tam leui et variabili, quale cerebri pondus est, non adeo credidissent, neque video, quid hoc, prout maius vel minus est, in mentis actione valeat. Satis est, integrum, illud esse.

3. *Cerebrum et cerebellum molle.* Passim hoc referunt medici ^{p),} sed cum non satis definiant mollitatem naturalem, vnde ad morbosam deuenimus, morbum antegressum, putredinem vel imminentem, vel praesentem, dubium est, in quantum stultitia inde orta sit. Recte enim mihi dubitasse vitetur GREDINGIVS ^{q)}; Hanc nimiam encephali emollitionem, inquit, vel a menyngum ventricolorumque lateralium hydrope factam compressionem semper fatuitatis caussam existere, non extra omnem

^{m)} Prax. Med. I. 3. p. 105. Caeruleam maculam memorat Greding Verm. Schrift. p. 185. sed dubius est, quid statuat.

ⁿ⁾ Mem. de Berl. T. XX. p. 75. ^{e)} Ap. Haller. I. c. p. 17.

^{p)} Greding I. c. p. 532, seq. et p. 536. cf. Ei. Vermisch. Schrift. p. 167. et p. 188. 241. ^{q)} L. cit. p. 557. et p. 538.

omnem dubitationis aleam positum esse videtur. — Melancholici, encephalo licet ex hydropico statu quam maxime compresso, parua tamen vel potius nulla fatuitate affecti deprehensi sunt. Et hinc satis patere arbitror, nimiam encephali emollitionem compressionemque fatuitatis quidem frequentissimam comitem, praecipuamque, nequaquam uniuersalem et unam caussam esse.

4. *Cerebrum durum.* Crebrius et constantius melancholicorum et maniacorum vitium est durities cerebri, quam septies inuenit MORGAGNIUS ^{r)}, post eum MECKELIUS ^{s)}, RASTIVS ^{t)} cl. METZGERVS aliique similiter. Sed, si durities ista cerebri effecti insaniam, quaeritur, quomodo cum cerebelli mollitie ^{u)} una consistere potuerit? cur nunquam totum cerebrum, sed pars fuerit sic affecta? Reperitur etiam in hominibus non stultis, in senibus ^{x)}, apoplecticis ^{y)}, in sanis subitoque extintis rel. oriturque, ni omnis fallor, a vario cerebri habitu humorumque impulsione vel defectu. Hinc praecclare MORGAGNIUS: *Non tanti eam faciendam arbitror, ut ex ea duntaxat stultitiae caussam speciosis explicationibus repetamus.* Neque absimiliter GREDINGIUS ^{z)}: *Hanc solam frequentem et fere inseparabilem maniac comitem vel caussam agnoscere, obseruationes omnino prohibent.* Ergo iterum spes nostra vana et caduca fuit. Nam *cerebrum durum esse potest sine stultitia, et stultitia sine cerebri duricie.*

5) Cerebrum siccum. Meminit BONETVS ^{a)} furiosi, cuius cerebrum siccissimuma, durum, adeoque in summ parte digitis friabile, flauum undiquaque reperiatur. Repte tamen hanc cerebri conditionem, si vere adfuit, deberi inflammationi biliosae medullae dixit KLOECKHO-

C 2

F I V S

^{r)} L. cit. p. 59.

^{s)} L. cit. T. XX. Obs. 1 — 6.

^{t)} Ap. Haller. l. c. p. 47.


^{u)} Ita Geoffry ap. Morgagn. l. c. p. 59.

^{x)} Haller. Prael. Boerh. §. 475, et L. c. p. 47.

^{y)} Morgagn. ib.

^{z)} L. cit. p. 536.

^{a)} Sepulchret, T. I. p. 176.



FIVS b), nunquam vero in furiosis, melancholicis et fatuis deprehendit GREDINGIVS e), ideoque fallacissimae rei non amplius credimus.

6. *Grauis cerebri et cerebelli odor.* Non spernendam melancholicorum, epilepticorum et fatuorum dotem eum esse affirmavit GREDINGIVS d), quippe cum iusto citius inciderit. Puto tamen, hanc odoris foeditatem magis prodere cerebri singularem corruptionem, quae in hoc genere hominum miserrimorum lente vel sub mortem instantem demum eruperat, malum ipsum generare non potuisse. Viderint in posterum medici secantes, num et quatenus iterum reperiatur.

§. XI.

Fuere, qui *corpus callosum* varie mutatum detegerent, inquit his LANCISIVS, qui duriusculum, GREDINGIVS e), qui praemolle ac pulvi simile vidi, potior tamen MORGAGNI VS f) est, hic tamen magni et boni viri more. Raro atque adeo semel in stultis vidi, inquit, profundos sulcos in corpore calloso. LANCISIVS in fatuo quaedam aliter in calloso corpore obseruauit. — Fortuito in eiusmodi morbis fuisse pleraque existimo, et certe in aliis descripsi praeter insanos, neque in his a ceteris adnotata fuisse video.

Praeterea Io. FANTONVS g) in corpore calloso tumorem dumorem iuglante maiorem, conspexit, vnde diuturnus capitidis dolor et epilepsia sequeretur, sed sub finem tandem vitae aeger absurdus.

b) De morb. animi, p. 63. ed. Schlegel.

c) Verm. Schriften p. 165. et 166. d) Ib. p. 165. seq. et p. 187.

e) Verm. Schrift. pag. 241. et pag. 222. 236.

f) L. c, p. 55. et 58. g) Ap, Morgagni, I, c, Lib. V. Ep, 61. Art. 6. p. 406.

absurda locutus est, neque id semper, sed tantum saepe, idque cum vehementius ille dolor vngeret, MORGAGNIUS vero et GVENZIUS modo tractum unum simplicem, modo duplicem, modo deficientem, nec qua solent, ratione inter se parallelum memorarunt. Num ergo in eiusmodi rebus tam leibus atque mutabilibus stultitiae caussam agnoscerimus, cum vel arteriarum iactui, vel compressioni cuidam singulari deberi videantur? Quo pertinet et illud, quod in stultis abnormes illae superficie corporis callosi non solum perraro conformatio[n]es reperiuntur, verum etiam sunt visae in pluribus, quorum mens fuerat sanissima h).

Corporà striata pure fetido et viridi arrosa, interdum veluti diffusa in maniaco vidit GREDINGIVS i), defecisse prorsum, MORGAGNIUS k) idoneus auctor est, et cum eo consensit Ill. METZGER l). In quo id mirum est, quod in altero exemplo mulier, cuius sectionem vir hic clarissimus narrat, furore agitata perierat, in altero homo nec in cerebri et neruorum usu quicquam a communi consuetudine alienum passus erat. Ut enim certum est, sensus internos eo magis integros fore, quo major est striatorum corporum constantia, quia cum medulla oblongata communionem veluti atque conpirationem habent, ita exinde patet, fallacem esse eorum opinionem, qui quidquid hisce in partibus mancum vel vitiatum cognouerint, illud caussam melancholiae et infaniae iactitant.

§. XII.

Plexus choroideus, in statu naturali ventriculos occupans, variam formam habere solet, praeceteris vero, sanguine turgere vel hydatidibus variae magnitudinis redundare, rarius glandulis scirrhosis et ossiculis. Sunt vero istae vesiculae adeo vulgares et tralatitiae, ut in plurimis

C 3


mania-

b) Sic Morgagn. l. c.

i) Aduers. I, c. p. 509, seq,

k) L. cit Lib. IV. Ep. 50. Art. 55. p. 281,

l) Verm. med. Schrift. I, B. p. 54.



maniacis, melancholicis, fatuis et epilepticis *m)* reperiantur, in paucis desint, videnturque ideoque quidem aliquid forsitan conferre hisce morbis vel augendis, vel inferendis. Habeo tamen, quod moneam. Pauci homines sine tali vitio moriuntur, et aqua cum plexum choroideum, tum ventriculos *n)* tenet, varie inclinato capite, dum viuerent, utcunque expellenda, in multis aegris modo integer et naturalis, modo varie corruptus esse visus est plexus. *o)* Videtur ergo magis effectus tanti tamque diuturni mali esse, quam caussa, nihilque hac in re esse perpetuum.

§. XIII.

Sequuntur *glandulae et pituitaria, et pinealis*, in quarum investigatione multum studii multumque operae posuerunt anatomici, sed inter se disceptant mirifice. Quod igitur ad *pituitariam* glandulam attinet, referebat ea ut plurimum fabae mediocris magnitudinem, rarius maior erat, saepius minor, coloris cinerei, mollior et friabilis, interdum durior et veluti scirrhosa vel cartilaginea *oo*). Talem glandulae habitum morbosum hisce in hominibus detectum esse, facile concederim, id tamen miror, quomodo, cum vix decem granorum pondus habeat, etsi in omni animalium genere constantissima, et quae eius utilitas sit, nesciat summus physiologus, *HALLERVS p*), possit melancholiā et maniam vel gignere, vel grauiorem reddere, cum in plurimis naturalem formam *pp*) habeat, interdum mutatam. Accedit, quod more aliarum glandularum, si vere talis est, debet diutius

m) *Greding.* Verm. Schrift. p. 235. et p. 174. et *Morgagni*. I. c. p. 54. seq.

n) Vid. *Haller.* I. c. p. 101. *o)* *Greding* Vermischte Schrift. p. 246.

oo) Sic *Greding*. Aduers. I. c. p. 515. seq. et Verm. Schrift. p. 191. seq. et p. 224. 258. 304. 318.

p) L. c. p. 102. et 103.

pp) Sic *Greding*. I. c. p. 192.

nus tolerari sine offensa posse, et si magis cerebri quaedam appendix habenda videatur, ea cum communi massa afficiatur necesse est.

§. XIV.

Glandula pinealis f. conarium mire placuit philosophis, CARTEII adseclis, quippe in ea sedem animi reponentibus scilicet, sed magis vexauit et etiamnum vexat medicos, cum in plurimis mortuis morbidam inneniant. Visa enim est aqua suffusa q), velutique bullosa in stupida r), in epilepticis, maniacis, melancholicis, fatuis interdum magnitudine iusta et naturali, interdum maior vel minor, strigosa, subflava rr) linearis, compressa, plana, globosa s), interdum satis firma, duriuscula, crassior, laxa, mollis et in pultem resoluta t), interdum arenulis vel calculis u) coloratis referta, vel ossea x). Sed adhuc sub iudice lis est, si, quid et quantum haec conditio ad morbos mentis valeat, quaeritur. Etsi enim crebrius memorantur glandulae huius mutationes in mente captis, tamen et sani talia vitia tolerant sine vlla cerebri molestia y), et melancholici quidam integrum eam z) ostendunt.

q) Haller l. c. p. 108. Greding. Advers. Vol. II. p. 517. et Verm. Schrift. p. 179.

r) Wisemann ap. Haller l. c. rr) Morgagn. ib. p. 58. et p. 405. seq.

s) Greding. l. c. p. 518. et Verm. Schrift. p 179. seq.


t) Greding. ib. p. 520. et V. S. p. 180. Morgagn. l. c. p. 58.

u) Haller l. c. Greding l. c. p. 521 seq. et V. S. p. 181. et 213. 241. Morgagn. l. c. p. 56. Glinz Progr. De lapill. glandulae pineal. in quinque mentis alienatis, Lips. 1753. rec. Haller. Disp. Pract. Vol. I. n. 15. p. 233. seq. et vers. germ. P. I. p. 114. Wiel Obs. Rar. Cent. I. Obs. 12. p. 53. Act. N. Cur. Cent. I. p. 149. Lange Opp. P. I. p. 192.

x) Loescke Obs. p. 30. Act. Erud. Lips. a. 1706. p. 146.

y) Meckel Mem. de Berl. T. X. p. 92. et cl. Schmucker Wahrnehm. p. 109.

z) Gunz l. c. p. 247. et vers. p. 230. Morgagn. L. V. Ep. 61. Art. 7. p. 407. Greding. Verm. Schrift. p. 236. et p. 257. 311.



dunt. Haec dum mecum reproto, non possum a me impetrare, ut tantas inde turbas repetam, quantas alii credunt. Veras esse GREDINGII ^{a)}, hoc in genere facile principis, obseruationes, qua calculos in pluribus melancholicis, maniacis, fatuis et epilepticis reperi, exemplis docuit, id quidem largior, at vero inde mentis morbum ortum dicere non possum, multo minus inconstantiam et mutabilitatem talium hominum, saepius consilium mutantium, ad sententiam probabiliorem adferre. Ut enim hoc si fere facere solent, quorum ratio hinc inde vagatur, veluti nescia et dubia, quid e re sit, et qui aures praebent faciles cuique probabiliter dicenti, ita stultus aliquis non ideo pronunciandus est, quia glandulam pinealem immutatam post fata habuerat. Tunc enim plurimi hominum, si ita sentias, stulti sunt, et nemo nostrum adeo sibi a stultitia tutus est, ne dies caniculares metuat. Eadem est arenularum et calculatorum ratio, idem iudicium. Nam illis hominibus, in quorum cadaveribus tales calculi in hac glandula reperti sunt, in vita quicquam incommodi circa animales actiones contigisse, negat idoneus auctor DIEMERBROECKIVS ^{c)}, nec eos, in quibus conspiciebantur, omnes stultos fuisse, saepius tamen accidisse, ut in stultis, quam in conflictatis uno alio aliquo morbi genere inueniatur, aperte professus est MORGAGNIUS. ^{d)} Nec absimiliter cl. MALAKARNE ^{e)} meminit iuuenis sedecim annos nati, et ad extremum usque spiritum mente constantis, cuius glandula pinealis arenulis plena, pellucida, hydatidem referens, item variae figurae, interdum medullae instar mollis et magna,

^{a)} Aduers. p. c. p. 523. et Verm. Schrift. p. 182.

^{b)} Ap. Morgagni. I. c. Art. 6. p. 406.

^{c)} Anatom. I. 6. p. 592. ed. Ultraject.

^{d)} L. c. Lib. I. Ep. 8. Art. 16. p. 59. cf. Greding. Verm. Schrift. p. 262. ubi calculi in hydropica detegebantur, sed sine mente turbata.

^{e)} Encyclopaedia nova universalis, Turin. 1780. P. II.

na, in mendico hilari reperiēbatur. Eam vero triplo crassiorem in viro minime stulto detexit Io. FANTONVS b). Morbum ergo auxisse videntur, induisse nullo modo, quem magis inde natum credereim, si pontem cerebri, communem veluti neruorum originem et animi sedem, affecisset. Recte mihi hinc sensisse videntur MECKELIVS f), ROEDERERVIS g), et omnium maxime MORGAGNIUS h), cum in contrariam irent sententiam. Hic enim in arte sua, in primis anatome practica, Roscius, nouies vidit hanc glandulam arenulis refertam, sed sine stultitia, contra fuisse stultitiam in aliis, quorum illa ipsa glandula nihil quicquam vitii habuit. — Nulla certe alia in tota hac substantia particula est quae crebro adeo, ac illa glandula, peculiaribus sit vitiis obnoxia, et arenulas praesertim lapillosoque contineat. Quod tis vitium et si cum stultitia et sine hac quoque deprehensum fuisse supra intellexeris, nolim tamen obliuiscaris, non saepe adeo inueniri cum uno aliquo morbo, ac cum stultitia, coniunctum. Ergo cum iste glandulae habitus calculosus modo adsit, modo desit, priua mentis affectas causas putanda non est, sed quaedam accessio,


§. XV.

Quibus praemissis, facile intelligitur, mancam, incertam et dubiam etiamnum esse melancholiae et insaniae longae cognitionem. Pluribus noxis et calamitatibus patet cerebrum, quae plus minus mentis vim hebetant, obtundunt, reprimunt vel extinguunt. Aperta sunt effecta, operae et obseurae caussae, ideoque continendum fere est iudicium. Quaecunque enim vitia hinc inde memorantur, more vagi et inconstantis comitis insaniae data esse videntur, quibus parum aut nihil fidendum est, quia cum et sine his furere, insanire, absurdaloqui et facere


f) L. cit. [p. 92, seq.] g) Progr. de cerebro, p. 4

g) L. c. Lib. V, Ep. 61. Art. 3. 4. p. 405. seq.

licet. Cum enim et adsint, et absint hoc in malo, modo vrgeant, modo mentis sedem intactam relinquant, non possunt idoneae eius caussae esse, sed augere illam tantum, aliquae vero carum ne hoc quidem, propter dubiam partium vtilitatem, minutulam molem, locum, quem tenent vel comprimunt, denique propter connexionem. Raro vna labes cerebri vel cerebelli subest, sed multiplex, quae quidem perdiligenter exploranda et annotanda omnino est, vt, quid quaeque contulerit ad morbum vel inferendum, vel exasperandum, artis peritus dijudicare possit, at vero videndum maxime, vbinam loci vitium potius insideat. Cum ergo verisimile sit, ibi residere, tanquam in tuto munimento, animum, vbi cerebrum et cerebellum veluti confluunt atque conspirant i. e. ad medullam oblongatam et proxime assidentes partes, in his inuestigandis omnis medici secantis opera collocanda est, ne caussam tanti tamque horrendi mali ad iudicem referat quae nec est, nec per se esse potest, eaque re vel ob sit bono viro, vel proficit malo. Quamdiu enim in foro ecclesiastico eo res omnis redit, vt sciant, numquis melancholia vel mania correptus vim sibi intulerit, nec ne, sepulturae honestae et inhoneste decernendae caussa, (vtinam missa aliquando fieret haec dura et inhumana lex!) omni accusatione et diligentia opus est, vt non, nisi id adferatur, quod cum placitis medicis, vsu et conscientia potest consistere.



THESES

- I. Mammarum cancri destruetio ferro tutior est, quam causticis.
 - II. Ossa pelvis sub partu laborioso dimoveri possunt.
 - III. Foetus in utero deglutire non potest.
 - IV. A longiore somno morbus fit.
 - V. Pondus ciborum solidorum specificum parum ad deglutitionem confort.
 - VI. Signa grauiditatis omnia sunt fallacia.
 - VII. Variolae non sunt inservenda, si iam naturales epidemiae sunt.
 - VIII. Scabies non a vermibus oritur.
 - IX Sectioni caesareae dissectio synchondroseos ossium pubis interdum praferenda est.
 - X. Aures homini natura mobiles dedit.
- 

T H E E S

Et quodammodo sicut dicitur. I
quodammodo sicut dicitur. II
quodammodo sicut dicitur. III
et cetera. IV
et cetera. V
et cetera. VI
et cetera. VII
et cetera. VIII
et cetera. IX
et cetera. X
et cetera. XI
et cetera. XII
et cetera. XIII
et cetera. XIV
et cetera. XV
et cetera. XVI
et cetera. XVII
et cetera. XVIII
et cetera. XVIX
et cetera. XX